

providere cavit Apostolus 2. Cor. II. quæ Rheni nostri est Indoles; lictori nunc ulteriori gravior incumbit, nunc ulterioiri addit demitve, nunquam accolis æquus: Ita versipellis ille spiritus in omnia extrema fertur; cum polemica ardent, friget pietas; cum hæc incalescit ac ad entusiasmos inclinatur, illa proscribuntur. Nunquam tamen tam male cum rebus humanis actum est, quin ex ungue leonem ex spuma draconem, è vestigio feram indagare potuerint, ac discernere verum à confuso, divinum ab humano carnis invento, vigiles τῆ ἀληθείας ἰψῆσαι.

§. 13.

§. 13.

Mittam hoc caput, quo per accidens tantum aliquid dictum est de religione prudentum (ut habent auctoris verba sub finem cap. 1.) si ex ἀλλόφυλοις tantum unicum de hac eclogaria religione iudicium apposuerim. Praxis Orthodoxæ Fidei &c. per P. Jacobum Masenium è S. J. Colonia Agripp. anno 1669. cum permissu Superiorum, consideratione Extrayagante XVII. p. 161. hæc habet: Politicorum hujus temporis scitum: quod quisq; in sua fide salvari posse expenditur: considera I. possit ne tuto aliquis illi persuasioni adherere, quam plures hoc tempore O. homines docti ac Politici, sequuntur; quod in sua religione quisque salvari queat, modo fundamentum fidei teneat, hoc est Christum Jesum pro nobis peccatoribus redimendis natum passumque esse ac resurrexisse in vitam æternam ut eodem fides perduceret. Etp. 167. postremo quis non videat hujusmodi politicos syncretizantes adversus rationem communem Scripturamque sacram ac DEUM ipsum pugnare. Cum enim nationes integra se suasque Ecclesias à communione mutua, ob damnatam invicem doctrinam separent, una salutiferaque ex eorum sententia fides esse non potest. An igitur soli nostri Politici præ tot populis sapiunt, & unam esse fidem Christi in necessariis ad salutem volunt, quam videmus sentimusque male dissectam? Patet ex his ut opinor, quam inanes culmos, etiam Masenii iudicio, excutiant, qui Syncretismi larvam vel sibi, vel aliis induere conantur, ut sub opinione unionis & consensus fundamentalis, alios in partes suas facilius perducere queant.

CAP. II.

Coll. Miss. A. 47, misc. 44